

Minime, imò facilius capiuntur, & deprehenduntur in scelere, quia nescit Deus patrociniū dare criminibus. Fructuosa autem diuiditur in postulationem, obsecrationem, meditationem, orationē, gratiarum actionem, & contemplationem. Postulatio est circa tem poralia bona & huius vitæ necessaria obtinenda, vt tranquillitas pacis, incolumitas corporis, aëris temperies, & huiusmodi. In istis postulantis Deus approbat bonam voluntatem, facit tamen, quod melius esse iudicat, quoniam quid infirmo sit vtilius, magis nouit medicus, quam agrotus. In postulationibus pie ac fideliter orandum est, non tamen in illis pertinaciter insistendum, quia nonnunquam homo male dispensaturus id quod vult accipere, Deo miserante non consequitur. Nam si hoc ab illo petitur, vnde homo ledatur, melius non exauditur. Nempe hoc valde metuendum est, ne quod posset Deus non dare propitius, det iratus. Obsecratio est anxia in exercitijs spiritualibus ad Deū insistētia. In ipsa insistendū est cum omni humilitate & patientia, quia non afferunt fructum nisi in patientia. Accidit enim plerunq; vt quū gratia non subuenit celeriter, fiat obsecranti cælum aneum, & quum relictū sibi humani cordis duritia ad votum exaudiri non meretur, anxietas obsecrantis negari sibi existimat, quicquid differtur. Hoc tamen mira conditoris dispensatione agitur, quatenus desideria dilatione extendantur, vt proficiant. Proficiant, vt ad hoc quod perceptura sunt, incallescant. Vtique obsecrans excitatur in certamine, vt maioribus cumuletur premijs in retributione, & labor protrahitur pugnae, vt crescat corona victoria, eo tamen dulcius ac suauius fruatur, quo diutius dilatatum est obsecrationis desiderium, vt quod petitur, impetretur. Meditatio est studiosa mentis intentio circa aliquid inuestigandum diligenter insilens, & distincta promotione semper se ad altiora extendens. Est etiam prouida animæ obtutus in veritatis inquisitione libenter occupatus. Meditationum verò tria sunt genera. Vnum in creaturis, vnum in scripturis, & vnum in moribus. Primū surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione. Oratio est hominis Deo adherentis affectio, & quædam familiaris & pia allocutio. Talis namq; purus orationis affectus, & hæc bona affectionis suauitas non inuenitur, sed quasi interuenit, quum repente gratia præuenit. Quod aliquando incipientibus prouenit, quum rudis adhuc corū animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro merito sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quum verò hoc fit, agit, vt vel in iudicium suum non negligenti liceat nescire, quid negligat, vel vt prouocatio caritatis amorē in eis ultra se proferens accendat. Ex quo tamen fit, vt multi fallantur, qui quum pascantur pane filiorū se filios arbitrantur, inde deficiant, vnde proficere debuerant. Et ex visitante gratia euanescent à conscientia sua se arbitrantur aliquid esse, quum nihil sint. Gratiarū actio est in intellectu & cognita gratia Dei bonæ voluntatis indeficiens & irreflexa intentio. Nullum enim officium referenda gratia magis necessariū, quia maiora meretur suscipere, qui collata bona de corde nō probatur delere. Discē ergo o homo in gratias referendo non esse tardus, discē ad singula gratias agere, diligenter considera, quæ tibi præstantur à Domino, vt nulla ipsius dona debita gratiarū actione frustren-

tur. Nam iugiter sibi subuenire facit, cui impensum beneficium ante oculos semper assisist. Sed etiam inuitatur ad magna, qui de paruis gratias agere assuescit, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Propterea o Domine Iesu quamuis de innumeris donis mihi exhibitis nunquā tibi gratias debitas valeam referre, tamen illud certe vbiq; non desinam confiteri me referre nō posse. Hæc etenim humilis confessio non parua est gratiarum satisfactio. Contemplatio est verus certūque intuitus cuiuscunq; rei, seu apprehensio veri, & non dubia consideratio. Nam & contemplatio est illa species, quæ rapit omnem animam desiderio suo tanto ardentior, quanto mundiorem, & tanto mundiorem, quāto ad spiritualia magis exurgentem, & carnalibus desiderijs, ac terrenis affectibus morientem, de qua latius paulò inferius dicitur.

*De iis in quibus præmineat actiua
vita contemplatiua.*

C A P.

V I I.



Verorum mos est cuncta secundum sensum eligere. Nihil enim sapiunt, nisi quod pulchrescit visu, mulcet auditu, lenocinatur odoratu, sapit gustu, & mollescit attractu. At spiritualis homo omnia diiudicās, hæc paripendens, sola spiritualium examinatione delectatur. Quapropter quum præsens orationis tractatus illis solis congruat, qui spiritualium exercitationi vacant, dignum duxi enucleare in hoc capitulo, quantum præcedat actiuam contemplatiua vita, quatenus qui illam cupiunt sectari, prouocentur ardent, & qui iam illam elegerunt, amplectentur & teneant cautē. Singulare enim donum est, & paucis concessum, ideo qui tenet, teneat, nec ipsam ante finem vitæ derelinquat, quia post hanc peregrinationem perficietur. Notandum est igitur, quod contemplatiua vita in pluribus actiua vita præminet. Et primo quia contemplatiua vita intendit meliori, scilicet Deo, quum actiua intendat proximo. Nam contemplatiua vita est caritatem Dei tota mente tenere, & ab exteriori actione quiescere, soli conditoris desiderio inharere, & calcatis curis omnibus ad intuendam creatoris caritatem animo inardescere. Actiua verò vita vestiendo nudum, suscipiendo peregrinum, gubernando subiectum, redimendo captiuum, tuendo violenter oppressum, iugiter se ab omnibus iniquitatibus suis emundat, & vitam suam honorum operum fructibus ditat. Præcellit etiā contemplatiua in hoc, quia clarius videt. Nam mens quæ contemplando ocia appetit, plus videt, sed pauciores filios Deo generat, qui verò ad prædicationis laborem se dirigit, minus videt, sed amplius parit. Et quis ignorat, quod sicut ocium studiosum ineffabilem suauitatem sapientia cælestis, & iucundum lumen latentis veritatis infundit ocioso, ita spiritualis occupatio laborum sanctorum multiplices affert fructus humanæ societati occupato. Itineribus qui pæpe diuersis incedunt, sed ad vnam patriam tendunt, & ad vnum regnum disparibus militantes officijs Christo rege omnium vocante perueniunt. Præminet quoq; in hoc cōtemplatiua, quia mundior est. Lam inquit sponsa cōtemplationi vacās in canticis canticorū pedes meos, quō inquit

Cant.